

**Dissertatio osteologica de modo, quo ossa se vicinis accommodant partibus ... / defendendam suscepit Joannes Benjamin de Fischer.**

**Contributors**

Fischer, Johann Benjamin von, 1720-1759 or 1760.  
Gaubius, Hieronymus David, 1705?-1780.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Conrad. & Georg. Jac. Wishoff, fil. Conr, 1743.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/we2ma4fv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSE<sup>II</sup>TATIO OSTEOL<sup>II</sup>GICA

D E

MODO , QUO OSSA SE VICINIS  
ACCOMMODANT PARTIBUS,

Q U A M ,

S U B - P R A E S I D I O

C L A R I S S I M I D O M I N I  
HIERON: DAVID: GAUBII,  
M E D I C I N Æ D O C T O R I S E T P R O F E S S O R I S  
C H E M I Æ O R D I N A R I I

P U B L I C E

die Julii. 1743.

D E F E N D E N D A M S U S C E P I T

J O A N N E S B E N J A M I N D E F I S C H E R ,  
Riga-Livonus.

---

---

L U G D U N I B A T A V O R U M ,  
A p u d C O N R A D . & G E O R G . J A C .  
W I S H O F F , F I L . C O N R .

M D C C X L I I L

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30780998>

*ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
D O M I N O,*

**D. HERMANNO DE LESTOCQ,**  
SACRAE CAESAREAE MAJE-  
STATIS RUSSICAE CON-  
SILIARIO INTIMO  
ACTUALI.

PERSONAE AUGUSTISSIMAE  
MEDICO PRIMARIO,

E T

SUPREMO REI MEDICAE PER  
RUSSIAM DIRECTORI,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

*ILLUSTRIS AC GENEROSISSIME*

**D O M I N E!**



pectanti mihi tum nominis  
Tui dignitatem summam , tum studii , in  
quod incumbo , genus, nihil potius esse arb-  
tror , quam ut hancce, levidensem licet, exer-  
citationem Academicam , Tibi, Vir Illustris !  
redderem sacratam. Cum enim , Vir excel-  
lentissime ! sanitas pretiosissima IMPERATRICIS  
NOSTRAE CLEMENTISSIMAE a longis Tibi con-  
credita fuit annis , & quod maximum ,  
Tuis felicissime conservata curis ; cumque  
præterea Augustissima munificentia meritis  
tuis justissime responderit , Te ad amplitu-  
dinem Sui intimi & actualis Consiliarii eve-  
hendo , Tuæque tradendo directioni res  
medicas per universam Russiam : ec cui alii  
ex

ex iis, qui se Russiæ salutant subditos, medicis offerendum foret documentum laborum Academicorum? Suscipe itaque, Illustris Domine, hocce meum, mente manuque benigna, & favore patrocinioque Tuo gratiosissimo dignare.

ILLUSTRIS NOMINIS TUI,

Lugduni Batav.  
die Julii.

1743.

Cultorem devotissimum

JOH. BENJ. DE FISCHER.

A 3


PROE-



## PR OEMIUM.

**D**ericulum facturus studiorum meorum, de selecta ossium materie, quo modo vicinis se accommodent partibus, differere quædam, constitui. Ordo tractationis, rei cognatus, exegit, quædam, ad clariorem propriæ doctrinæ illius intellectum, de generatione ossium; de diversitate illorum in diversa ætate; de discrimine ossium procrescentium; & de configuratione ossium, sexibus nationibusque propria, præmittere, quo scilicet hæc, singulis capitibus tradita, suo loco melius & distinctius in examen & memoriam revocari possint. In omnibus vero ita versatus fui, ut aliorum sententias miras, nonnunquam & vanas, vel breviter attigerim, vel silentio transferim, tacens etiam auctorum nomina, ne nimis ampla & obscura, nec uni, alterive molesta & spinosa evaderet dissertatio; habita saltem veritatis ratione, experientiæ testimonio confirmata.

CA-



## CAPUT PRIMUM.

*De Generatione ossium.*

### §. I.



uicumque mirabilem naturæ ordinem, quo in formatione, nutritione, & incremento partium corporis humani utitur, curatius animo secum reputat, nihil sapientius illo & præstantius, quod originem suam magis innuit divinam & arduam, facile deprehendet. Prima quidem rerum principia, ex quibus omnia condita sunt, non ita perspicacitati mentis humanæ, & ejus perquisitioni patent, ut intimam illarum indolem, ex prima origine sua eruat. Quin nec legum explicatior ratio, qua cuncta, sibi invicem connexa, mutuas in se conferant actiones, omni ex parte ab intellectu hominis, in sensibilibus tantum expendendis, maxime versante, ex certis fontibus hauriri potest. Verum enim vero quamprimum oculi hominis rudimenta capere atque in examen adducere valent; tota hujus summi operis machina, tantam, in ornatissima operationum suarum serie, ostentat præstantiam, quæ nulli excellentia cedat.

### §. II.

## §. II.

Plerique Anatomici, ab omni ævo, operam suam in adultiorum corporum sectionibus magis posuerunt, quam juniorum, iisque, qui hisce perlustrandis sese dedidere, multa de situ, & externa partium facie, interiori illarum haud spectato genio, exposuerunt; quod vetustior præprimis Anatome, uti & recentior, omni quasi pagina, prodit. Si vero illa, haec de generatione ossium doctrina, veritati illi comprobandæ argumentum atque exemplum præbet quam luculentissimum, cuius contemplandi negotium, in præsens mihi paucis exsequendum, proposui.

## §. III.

De prima ossium materia & natura, valde quidem inter se discordant<sup>s</sup> sententiæ, dum alii antiquiores, illam copiosiori ex terra, & ex hac proficiscente siccitate & ariditate; alii ex semine crassiori, magis terrestri; alii ex subtilium membranarum, sibi invicem accrescentium, contextu, natam esse, autumarunt. Quod primam attinet & secundam de particulis ossis sententiam, utramque accuratior per vestigatio refellit, cum corpusculum foetus, sensibus usurpandum, molle quoddam, & fere homogeneum, exhibeat concrementum; licet haud inficiemur, quod confirmata ossa, mole terrestri, reliquas excedant partes, omnino omnes. Illa de membranacea ossium compositione, ex visus errore & fraude nata, in contemplatione scilicet fontanellæ infantis, falsa omnino cognoscitur; quippe inter Pericranium, & Duram matrem continuas lamellas, interposita substantia cartilaginea, abscondita hæret, quæ ut in aliis, succesu temporis, solito naturæ instituto, in os convertitur. Propria autem ossium materies, ubi sese conspicendi præbet indaganti, est ad instar gelatinæ, seu mucilaginis, leviter concretæ, quæ compactior reddita, Cartilaginem efficit, in os durescentem.

## §. IV.

# DISSESSATIO OSTEOLOGICA.

#### §. IV.

Postquam incremente copia substantiae illius (§. III.) hactenus pellucidissimæ, & levivi dissolvendæ, haec majorem induit consistentiam, & opacitatem, incipit in conspectum prodire stigma aliquod, valde parvum, duriusculum, obscurum, a cartilagine plane diversum, osseum aliquid, sed tamen molle. Hoc an ex compactiori, & firmius adacto subtillisimorum vasorum contextu, ortum deduxerit solum, indubitatis haud evinci argumentis poterit; dum nulla arte organica illa constructio detecta, nec ratio evidens physica praesto est, cur in hoc loco magis, quam in alio, cartilaginis primitivæ stamen illud osseum proveniat.

§. V.

In hac Osteogenesiæ periodo, materie gelatinosa prima (§. III.) in cartilaginem redacta, haec non putari debet pro mole quadam, rudiformi, digesta, quæ nullam plane similitudinem cum parte, in quam abit, gerat; ut nonnulli in animum sibi induxere. Certe in minimis foetibus, qui manu contrectari potuere, species quedam futuri ossis in cartilagine veluti depicta appetit; e. g. in ossiculorum tarsi; licet inficias iri nequeat, formam illam, a perfectione, dein consecutura, longe abesse.

§. VI.

In productione inchoamenti ossi (§. præc.) discrimina quædam, respectu formæ ossis, obveniunt, nec unus naturæ placuit modus. Velenim simplicissima in cartilagine unum tale punctum conficitur, si illa non varium, quoad figuram, nimisque irregulare os constituit; ut ossicula carpi. Vel in angulosis amplis, & crassis, plura fiunt primordia, diversis in locis, e. g. in ossibus vertebrarum, coxarum, quæ ex triplici nucleo

osseō in unum concrescunt. Vel in fibulosis additamentorum in speciem ossa se perficiunt, dum utrimque ad extrema in epiphysibus unum inchoatum, unumque in medio ossis corpore, instar granuli, comparet; e. g. in osse femoris, humeri &c. Vel tandem rotundulum illud in principio, postea radiorum instar, ex uno centro manantium, quaqua versum fibras suas exporrigit & dispergit, sensim longiores, firmiores, latiores, reticulari intermedio nexū; ut cernitur in ossibus crani, ex quorum jamjam descripto generationis modo elegans futuram facies nascitur. Hunc de inchoamentis ossis ortum (§. IV.) & situm, quem tenent, diversum, nec non veram primae materiei ossis indolem Clarissimus Albinus, in elegantissimo opusculo, quod inscribitur: *Icones ossium fœtus humani, curiose exposuit.*

## CAPUT SECUNDUM.

*De Diversitate ossium in ætate diversa.*

### §. VII.

**P**rima ossificationis periodo peracta, in qua ossium substantia ex fluida in solidam compingi, a variis, in diversis ossibus natī primordiis cœpit, hæc in secunda, quæ circiter in quartum, vel quintum mensēm ætatis fœtus incidit, sursum & deorsum prorepentia, ossiculi oblongi speciem representant, quæ, cartilagine, sensim occupata, cum incremento corporis, perfectior & elaboratior redditur, pro diversa fœtus temperatura, quæ opus illud mirifice promovere & remorari potest.

### §. VIII.

## §. VIII.

Cum itaque a primo initio, in sequentia tempora, præter formam naturalem, sibi propriam, in singulis, ossa majorem potantur densitatem; hujus rationes inquirere oportet. Dici non potest, quantum dissideant auctores, ut causas, quibus ossa indurescant, exponant, exque iis primariam ossium generationem probent. Nonnulli ex antiquis vim illam calori asseruere soli, quo scilicet, data materie, (§. III.) hæc in substantiam duram excoquatur. Verum enim vero, re curatius per vestigata, condensatio ossium a tali ignis effectu, nullo deducenda esse jure videtur. Omnes enim corporis humani partes æquali fruuntur calore, & eo ipso totus homo secundum sententiam illam osseus evadere deberet. Quin multæ cartilaginiæ per totam vitam in summum usque senium, naturam suam intactam servant, atque tuerintur. Postiores, videntes nempe, a calore solo ossium compactionem non proficiunt, præter hunc, vim quamdam formatricem, animantem, generatricem, alterantem, siccantem, & ossificam addiderunt, jucundo certe, sed inani verborum lusu. Recentissimi tamen, vasculi si corporis fabrica explorata, solidescere ossia ex pressione vasorum & mutuo attritu fluidorum, tradunt. Verum non abnuere quidem possumus, ossa, dum continuo premuntur, majorem nancisci duritiem, quam tamen & illa obtinent, ad quæ nulla pervenire potest; quemadmodum ad ossa auditus in tympano. Nec ab attritu arteriarum sola pendet ossificatio. Illa enim loca in ossibus præprimis fibulosis, quæ pervadunt arteriæ, in interiora penetraturæ, ceteris majores, diu quidem spongiosa persistunt; ut epiphyses. Prætereaque arteriæ per substantiam osseam dispersæ, & tenerrimæ, nec non a corde dissipitissimæ, non magnum humorum excipere possunt impetum, quo tam validam sustineant reactionem, quanta ad confirmationem ossium requiritur.

## §. IX.

Ossificationis ergo opus nulli causæ externæ, quæcumque fuerit, subtili ex ingenio deprompta, sed tantum artificissimæ electrici naturæ vendicandum. Contingit quidem sœpe numero, ut, ob mutuam partium ad se invicem agitationem perennem, a summa mollitie carnea, in tendineam osseamque transeant duritatem, sicque homo senescens ad summam disponatur rigiditatem. Imo non abnuere possumus, quod validiori, vel debiliori humorum cursu, fortiori particularum adunatione minimarum terrestrium, firmitas illa ossea oritur, & augescat. At, ut illæ actiones ad corporis animalis œconomiam omnino requiruntur, sine quibus illa coli non posset; attamen erroris vitandi causa, statum maxime naturalem corporis humani, hujusque crescendi rationem, a natura ipsi inditam, discernere convenit, ab illa conditione, quæ ex rerum non naturalium, ut dicunt, varia applicatione inducitur. Nec certe magis, cur ossa ætate condententur succedanea, demonstrari potest, quam quo modo secretus ex massa sanguinea liquor, paulo ante ipsi alhuc mixtus, ad os accedens, in hujus materiei similitudinem transformetur.

## §. X.

Prout autem ossa majorem consequuntur duritatem, crassitatem, compactionem, longitudinem, cartilago primitiva superites, brevior, densior, & albicantior redditur usque in sextum, septimumve mensem; donec foetus, uteri incola, in lucem editur. Incredibile autem est, quantum ossibus intercedat discriminis, quoad firmitatis suæ progressum. Alia enim, præcocioris quasi ingenii, ex molli cartilagine cito admodum ossescunt; quemadmodum cranii compages, & ossicula auditus, alia vero tardius, pleraque majori quasi cum molimine. Quin etiam non solum yaria ossa, diversis servientia usibus

fir.

firmitate discrepant, sed etiam singula in corporibus suis. Per multas enim constat observationes, ossa pleraque eo loci densissima existere, quo prima illa rudimenta sedem ceperunt, & ab eo, quo longius recedatur, riora, teneriora, & origini suee propria; quod generatim de omnibus asseverari potest. Unde etiam ratio liquet, cur vitio, ossi inducto, & inde nata carie, hæc velocius proserpat, in exteriori utrinque parte ossis, quam in media. Sicuti nunc ossium cartilago majorem adipicetur densitatem, eo minus pellucida, & magis progressui primi puncti ossei, & suee commutationi obseruit, incremento sic vi reactionis, eaque ipsa, pro aetate adiutori, vel teneriori, ossium condensatio lentius, vel oxyus procedere solet. Porro animadvertuntur ossa eo solidiora & fragiliora, prout vetustiora expulso scilicet liquido subtili vitali, flexibilitatem ossibus conciliante, cum ipsa vasorum obliteratione; de quibus in capite ultimo uberioris agetur.

## §. XI.

Postquam de diversitate densitatis ossium in vario vitae statu & tempore tractatum fuit; jam diversæ etiam formæ illorum ratio ducatur oportet. Distinguitur illa vulgo in Nativam & Accidentalem: prior appellatur etiam Seminalis, cum ipso veluti semine genita, propria unicuique parti corporis humani, a qua singularum species generatur, & fit, ut homo in hominem, & brutum in brutum crescat. Si natura ab hac nos non instrueret, nihil certe nec perspicacissimo Anatomico de ea constaret. Necesse est mirari hic formaticis illius ingenium, quo omnibus singulari & mirabili dicrimine ludentem, formam adornavit; quemadmodum non tantum in regno animali, sed potissimum vegetali, exsplendescit. Botanici enim non magis delitescentem in plantæ semine, hujus imaginem, quam Anatomi ci in primordio hominis occultatam hujus faciem visu atque intellectu apprehendunt. Hinc cognoscimus saltem ossium partium innatam figuram, quo usque hæc unicuique ossi cum conceptu impertita atque impressa est, prima quidem in gene-

ratione incondita, quæ tamen jam accommodata, singulis ætatibus, totius machinæ perfectionem consequitur. Hæc autem iis ipsis causis, quibus vita continetur, mirifice immutatur, unde altera formæ species, Accidentalis scilicet, seu Adscita proficiuntur, de qua, in ultimo dissertationis hujus capite, ut principe parte, sermo erit. Non attinet ad nos, singulas ossium formas harumque usus specialius discutere, sufficitque ad cognoscendum modum, quo ossa sese vicinis accommodant partibus, memorata meminisse.

## §. XII.

Hactenus circa differentiam ossium in diversa ætate ea saltem perlustrata fuerunt, quæ maximam partem ad parenchyma ossis fibrosum spectant. Aliæ vero mutationes & diversitates contemplandæ veniunt in ossibus, si recentiorum arte perquirantur. Scilicet pro vasculosa corporis humani conditione; ossa etiam inextricabili vasorum contextu, ut reliquæ partes omnes, gaudent, injectionibus felioribus detecto, & ex totius corporis constructione & indole facile probando. In primo quidem hominis lineamento distributio vasorum per partes non ita clare innotescit. Perfectioribus autem omnibus existentibus, illa satis in aspectum cadit. Accedunt arteriæ & venæ ad ossa, ex periosteo, vel ad cartilaginem, ex perichondrio, quod singula cingit, terminato ab aliis nexu nec originem in universum, ut alii sentiunt, a Dura matre sortito. Duplicatione vasorum illa decursum suum perficiunt, aliis perreptantibus ipsam osseam substantiam, ipsique largientibus nutrimentum, aliis in interiora meantibus, quæ medullare liquidum adferunt & deponunt. Ut autem nunc ossa magis cartilaginea & juniora existunt, ita pluribus instructa sunt vasorum, sic quidem, ut tota ex iis conflata videantur. Hinc ossa infantum exsiccata tantam monstrant perositatem, flexibilitatem & humiditatem: In Adultiorum autem ossibus substantia illa solidissima, politissima & candidissima conspicitur.

Ex

Ex quibus omnibus lucido apparet, quid canaliculi illi, in interna ossis textura, post calcinationem conspicui, faciant, nihil certe ad suscipiendam medullam, sed ad vasorum cursum aperiendum; uti in ossibus fibulosis maxime advertitur. Quod attinet subtiliorem vasorum per ossa transitum, & divisionem, actionem & usum, horum examinatione ab instituto nostro nobis digrediendum foret, cum nimis tota medullæ historia huc revocari deberet. Quapropter, misla hæc facimus; ea, quæ forsan adhuc hic adjici possent, in sequens caput remittendo.

## §. XIII.

Sed quæritur forsan, an non singula accurate describi queant tempora, quibus mutationes ossium, ratione allatarum differentiarum, accidunt. Si quis animo secum perpendet, corporis humani œconomiam, hujus functionum varietates, nutritionis & virtutæ causas & effectus, diversas animæ conditio-nes, & inde fluentes motus in corpus, quod tenet; facile perspicit, pro illorum incredibili varietate, & Idiosyncrasia cuiuscumque ossa celerius, vel tardius, diversos per gradus, ad maturitatem fertingere.

## CAPUT TERTIUM.

*De discrimine ossium procrecentium in variis  
ossibus.*

## §. XIV.

Quamquam in initio una omnibus ossibus data esse facies videatur; quemadmodum reliquis corporis partibus major

ior conciliata similitudo : Attamen successu ætatis tot comparent diversitates in iis, quot fere diversa ossa existunt, & uti usibus suis discrepant. Potiores, industria Anatomicorum detectæ, ad quatuor classes commode reduci possunt. Omnes attingere nemo mortalium potest ; cum osseum indoles tam divertam se sistat, ut ferme nulla in re naturæ varia-  
tio, & inconstantia, quoad fabricationis apparatus, magis se prodat.

## §. XV.

Primus in diversissimis osteogeniæ modis, simplicissimus est, si ossa lamellarum more crescunt, ita vero inter se differentium, ratione figuræ, nexus, magnitudinis & positus, ut verbis enumerari nequeant; uti exemplo nobis est os cribri-forme. Lamellæ illæ in principio cartilagineæ, tumidulæ, molles, planæ, contortæ, dum indurescunt, varias effor-mant cryptas, sensim ampliores, & anfractuosiores. Multis perviae foraminibus sunt, quæ relicta inter fibras ossæas, se decussantes, spatiola. Descriptæ bracteolæ, admodum tenues, ex simplici quasi fibrarum serie conflatae apparent. Unde illico liquet, cur ita facile corruptioni obnoxiae, raro integræ in craniis mortuorum, aeris expositorum injuriis, reperiantur. Necesse autem est, ossis cribiformis partes hic rite distinguantur; cum lamellata illa, & spongiosa fabrica non nisi ad internam ejus compositionem pertinet, nec ad la-minam medianam, cristæ galli continuatam, neque ad duas ab eadem, supra locunar narium natas, multisque foraminulis pertusas.

## §. XVI.

Altera osseum species, ex cavernis innumeris, cancellarum instar formatis, figuræ rotundæ, ovalis, angulosæ in diver-sas forinas represe, constat, que scilicet ex staminibus of-  
ficiis, mire inter se junctis, & convolutis, omnibus tamen in-  
ter

ter se communicantibus, conficiuntur; uti appareat in corporibus vertebrarum, ossis sacri &c. Hæc cavernosa mirabilis fabrica extus lamella munitur solida, illam coercente & firmando. Hæc innumeris prædita foraminibus majoribus minoribusve, tenuis admodum existit, eoque porosissima. Foraminula illa in interiore ossis substantiam ducunt, & varia inter se coeunt ratione, fiunt sensim pauciora, sed simul ampliora, quale maximum quibusdam Foratum appellatur.

## §. XVII.

Tertia crescentium ossium varietas animadvertisit in calvaria ossibus latioribus, quæ in principio ex uniformi extensa cartilagine constant, in qua primum ossis argumentum enatum, quæ quaqua versum radiis suis osseis se diffundit, (§ VI.) donec tota cartilago absumpta fuerit. Post fibræ illæ osseæ, in latitudinem & crassitatem excrescentes, a parte exteriori in laminam densam confluent, quæ prout adultior, eo minus perforata, ita tamen, ut & foramina majora cum incremento crassitiei atque densitatis, varias per series decrescant, & ultima ætate plane aboleantur. Interna, exteriori consimilis, ob politissimam & pendidissimam faciem suam, Vitrea dicta, ex compactione & repressione mediæ substantiæ fibrosæ, quæ recepto nomine Diploe vocatur, oritur. Multis hæc, bracteis inter se sociatis, perficitur, quæ unius laminæ speciem exprimit. Putant non nulli in hac tanquam aggregato multarum in osse frontis inter diductas lamellas nasci finus, ne si in Diploe formati essent, hæc ab injuriis aeris, & exspirationum malignarum, uti & medulla ipsa, vitium contraheret. Verum, recutatus perquisita, interjacent sinus duobus descriptis parietibus osseis, sed hoc accidente artificio, quod natura internæ cavitati sinuum toti, a parte superiori, inferiori, lateralibusque, crux tam singularem oscam obduxerit, qua communicatio Diploes cum illis omnino prohibetur. Hoc ipso ossis frontis exemplo aliud discrimen, ratione crescentium ossium in majorem raritatem, nobis patescit, quippe in foetu nulla ipsorum indicia appa-

rent, quæ sensim patere incipiunt, ætate se magis confirmante. Eadem conditio sinuum maxillarium & sphænoidalium esse observatur, in prima cartilagine non conspicuorum, ut pote tota solidata,

## §. XVIII.

Quarta differentia incrementi ossi in fibulosis sic dictis ossibus, sese conspicuendam præbet. Eorum longe compoſitor structura, mirabilior atque difficilior obtinet. Formantur scilicet eodem, quo reliqua ossa, modo, ex cartilagine, in cuius media longitudine punctum osseum dictum, sursum, deorsumque excrescit & serpit, donec totam in suam indolem verterit. Postea extrinsecus augmentum suum capiunt, lamellarum sibi accrescentium & circumpositarum adunatione & coniunctione, mediantibus fibris facta crassis, transversim oblique, vel recta eductis, quas claviculis assimilant, & quæ gemmas in corticem arboris extuberantes referrunt; unde crassities, robur & firmitas ossis efficitur. Interior, ex illis lamellis fibris suis luxurians, miram producit texturam filamentosam, inter quam multæ restant cavernulae, recipiendæ medullæ destinatæ, quemadmodum Diploe. Ipsum vero hoc reticulum fibrosum, progressu ætatis, magis compactum, & concretum cavum parat, quod in fibulosis adultis ossibus spectatur. Quod attinet ordinem crescentium lamellarum in illis, hæ ab interiori ossium parte, ad exteriora apponi solent, per circulos quasi concentricos, tam firmiter inter se conglutinatos, ut inde unius crassi tegumenti forma oriatur, ex qua data, perque multa experimenta, confirmata constructione, cognoscitur. Exfoliatio sic dicta Chyrurgorum, qui affectus est ossium, quo lamellæ illæ, a se invicem dejectæ, causa quacumque labuntur, tamquam foliæ; quod etiam in ossibus apparet, aeris mutationes in sepulchretis diu passis. Dentes quidem etiam ex diversis sibi mutuo applicatis lamellis construuntur, sed contraria legе, cum sub externa, interiores sensim generentur ad nucleus usque. Cujus vero fabricationis ratio

ratio ex oris conformatione & partium in eo sitarum usu elucet.

### §. XIX.

In examine ossium (§. præc.) necesse erit, singularum quoque Epiphysium generationem contemplari. In hac investiganda multi sudarunt Clari Viri, sed non æqua omnes fortuna. Quoniam, propter longitudinem illorum ossium, primum illud inchoamentum, non tam cito cartilaginem primitivam pervadere, & occupare poterat, natura utrimque ad extrema duo constituit nova rudimenta ossea, quæ primum per Synchondrosis medio ossi conjuncta sunt, ætatis autem cursu, cum illo in unum convenienter perfectum, ut ne vestigium quidem vel nota cartilaginis pristinæ supersit. Apparet ergo, quod Epiphyses exhibeant documenta imperfecti adhuc ossis, nec alia ex causa & usu natae fuerint. Hinc etiam variæ de harum indole, & utilitate obortæ lites inter principes Anatomicos haud a gre conficiuntur. Non enim Epiphyses sunt ossium opercula pro coerenda medulla, cum sub illarum cartilaginibus sint concreta. Nec pro repagulis serviant ossibus, ne fissura forsan facta, ad articulum pertingeret. Verum, cum juniora saltem ossa Epiphysibus sint instructa, non autem adultiora absoluta, eidem tamen fissionis periculo exposita, liquet hanc illas utilitatem præstare non posse. Porro nec ad firmamentum & insertionem ligamentorum conferunt, cum quam plurima non solum ambitum capitis teneant, sed etiam cervicem. Præterea multæ occurrent Epiphyses, quibus nulla adjuncta sunt ligamenta, ut Anatome demonstrat. Dein nulla ratione probari potest, quod Epiphyses incrementi fines ossibus statuant, dum nempe facile contingere potest ipsarum secessus & abruptio a medio osse, qua facta, in infinitum excrescere deberent; quod asserere ridiculum. Ex descripta quoque origine Epiphysium apparet cuique, illas infantibus non esse concessas, ut in utero eo promptius & felicius versari possent.

sent. Illæ enim minime flectuntur, sed articuli, & si m~~o~~  
bilitate gauderent, haud recte maturerent. Tandem tan-  
tum abest, ut aliquid ad robur articulorum conferant, ut  
contra multa inde nascantur vitia, laxitate nimirum sua & im-  
maturitate, ut de Rachiticis constat.

## CAPUT QUARTUM.

*De conformatione ossium, sexibus nationibusque  
propria.*

### §. XX.

Si quis accurate Oeconomiam corporis virilis & feminini ;  
horumque in fluidis, atque solidis omnibus, indolem per-  
lustrat, ille, comparatione haud ineleganti facta, illud in om-  
nibus ad alacritatem & robur, hoc ad venustatem & utrius-  
que generis propagandi munus, natum esse, clare concernet.  
Virilitatis enim fortitudinisque notæ, ut in aliis partibus, ita,  
quæ hic præprimis loci considerantur, in ossibus tam e-  
videnter exstant, quam teneritudinis femininæ in hujus sexus,  
licet illæ melius distinetiusque oculis dignosci possint atque  
longo comprehendi sermone. Quapropter eam saltem in  
sua constitutione discrepantiam persequi volumus, quam ex  
ipsa concipere descriptione, ossium saltem cognitione prædi-  
tus, potest. Generatim ad munia vitæ graviora sustinenda, ac-  
comodatum viri corpus, in ossea sua compage, ita construc-  
tum est, ut a coxis versus humeros affurgens, latitudine sen-  
sim & crassitie crescat ; ex quo figura illa quadrata, quam  
robustus præ se fert, oboritur. Feminæ contra sceletus a  
memoratis partibus adusque humeros tarde gracilescit, &  
quasi extenuatur, ita, ut ad superiora pergendo, in rotun-  
dam fere & circumcisam speciem convergat.

### §. XXI.

## §. XXI.

Maxima, quæ intercedit differentia, inter ossa maris ac mulieris, sese ostendit in illis potissimum partibus, quibus sexum discriminem statuitur, & quisque suis usibus aptus evasit. Femina pro foetus sui conceptione, commoda gestatione, exclusione & nutritione ossa circa genitalia sua & ad pelvem constituendam conjugata, longe ampliora, magisve diducta obtinet, quæ ita capax satis foetui domicilium concedunt. Sigillatum a parte posteriori ossis sacri minor incidit obliquitas, majorique rectitudine ab osse pubis dissidet. Unde prima capacitatis ratio consequitur. Non autem solum ossis sacri jam memorata directio, singularem illam differentiam in amplitudine pelvis innuit, sed etiam ipsius latitudo, virile multis partibus plerumque exsuperans. Quare etiam a parte posteriori extantiae ossium Ileon, in texu sequiori spectabiliores, efficiuntur. In ossibus porro Coccygis, insignior laxitas, quoad mobilitatem, & situs, ad perpendiculum magis accedens, observatur, quo major disjunctio hujus ossis a vicinis, & recessus quasi e pelvi datur, hinc minor in educatione foetus difficultas, alias nascitura.

## §. XXII.

Proxima ossi sacro Ileon quod attinet, horum species in femina ab illa, in viro, vehementer abludit. Primum quod conspicitur discriminem, ex latitudine amborum patescit, qua simul, si pelvem osseam, ut fundamentum spinæ consideramus, multo major oritur constantia, & aptitudo ad æquilibrium corporis, in quocumque abdominis incremento servandum, simulque amplior intestini Ileon sedes. Quemadmodum vero horum ossium latitudo increscit, sic extrorsum magis versatur. Eadem etiam causa, majori superficie, ossa sacri & Ileon se contingunt in femina, quam viro, cum quadam tamen varietate. A parte interiori, quæ ab illis constituitur, &

circumscribitur summa pelvis ora, amplior longe, simulque minus incurva apparet, eoque ipso a medio longius removetur. Unde rursus, quoniam in viro ossa Ileon minorem habent dimensionem, a superiori proprius ad se invicem accedunt, rectiusque spectant, ex quibus liquet facile, ea ossium figura pelvis ambitum arctari.

## §. XXIII.

Altera ossium pars coxarum, quæ dicitur Ischion, à parte interiori rectius quoque deorsum tendit, & latiori superficie, ab exteriori magis extrorsum, in femina vergit. Unde duplex evenit effectus, ratione amplitudinis pelvis & conjunctionis ossium femoris cum Ischii. Scilicet spatium illud ampliatur, & ossa femoris magis a se invicem dimota cernuntur. Hisce singularis illorum forma accedit, incurva, & e sinu protracta magis in femina, ac viro. Huc pertinet etiam ipsa ossium femoris, quoad capita sua, directio & longitudo, insignior longe, qua necessario illa majori distat intervallo, anguloque obtusiori ab inferiori media acetabuli parte.

## §. XXIV.

Ea, quæ in ossibus pubis notanda venit descrepantia, ex conformatione quadam generali figuræ pelvis proficitur. Dum versus anteriora ab interiori procedunt, longiorem efficiunt circuitum, & a superiori extrorsum magis diriguntur. Præterea utut graciliora, a parte synchondrosis illorum, major obvenit intercapedo, cartilagine tamen occupata, qua, si quis accidat motus, major sequitur obsequiositas, ad amplificationem pelvis aliquando valde necessaria. Porro in femina a parte juncturæ suæ, crassiori osse & latiori se respiciunt, atque propter magnitudinem suam, cum Ischii tuberibus angulum, qui inter illa intercipitur, relinquunt majorem, simulque obtusorem.

## §. XXV.

## §. XXV.

Cum corpus femininum, suo accommodatum officio, speciem in universum delineatam (§ XX.) gerat, pro hujus symmetria angustiori praeditum est thorace & planiori, insitu costarum conspicuo. Quas, quoniam clavicula forma sua & positu æmulatur, rectius etiam ab humero ad sternum appropinquat, siveque partem suam ad pectoris elegantiam confert.

## §. XXVI.

Lustrata jam ossium discrepantia, præcipua scilicet in diversis sexibus (§. XX -- XXV.) ; proximum est ad configurationem illorum, nationibus propriam, animum advertere. Negotium fusciperem laboris infiniti, vixque exsequendi, si singulos respicere populos, qui terram incolunt, illorumque, quæ ex sceletis elucescit, dissimilitudinem disquirere, conarer. Natura enim in plerisque, quos examinare oculis licuit, tantopere a se ipsa abludit, ut vix unus inveniatur homo, qui externa partium vel interna, minimarum & majorum facie, alteri similis videatur. Nec solum discriminem in ossibus diversarum gentium clarissime spectatur, sed in unaquaque, quin in vicinis, & sanguine sibi conjunctissimis. Non autem in his, nec in nationibus singularibus, tanta incidit varietas, quanta in iis, qui longo terrarum intervallo discernuntur, & proprium, sibi peculiare vitae genus vivunt. Prout enim plus minusve se mutuo utuntur, & familiaritate adstringunt, eomagis, ut sermones & mores, educatione diligenter culti, sic etiam partium species commiscentur: quod ex ultimo capite patescet. Sic quoque non isti valde dispares observantur populi, qui inter se agunt commercia, cum ipsa illa consuetudinis vi, quoad habitum corporis & animæ, ad se invicem conformantur; superstite tamen indole nativa, ipso dignoscenda coniuitu, at nullis accommodis describenda verbis, nisi Gallorum: je ne sai quoi. Quapropter, subtilioribus

bus missis varietatibus, in ossibus obviis, insigniores, quæ in longe dissitis aspiciuntur, in tribus scilicet, Batavo, Calamucko & Æthiope declarasse sufficiet. In toto quidem skeleto diversarum singularumque gentium, quoad robur, crassitudinem, firmitudinem & mechanicam constructionem, magna admodum obtinet disparitas; ingentior tamen in facierum forma, quam miram a natura fictam, & ad animæ cujuscumque indolem compositam deprehendimus.

### §. XXVII.

Si formatrium illorum craniorum (§. pr.) spectatur, Batavi, Calamucki & Æthiopis; in primo tota facies in rotundam magis figuram coacta, ossa calvariæ latiora, æquabilius undique diducta, a lateribus circum circa minus depressa, invultu politiora & pleniora, majorem ubique teneritatem præfert, quam una ex duabus. Calamucki autem calvaria horrida, magis complanata, in latera insigniter extuberans, simulque compacta, ita ad quadratam prope speciem accedit, facie etiam introrsum valde acta, & versus superiora in superficiem latain, ibique repressis quasi tuberibus, exasperatam distracta, barbariam ipsam testatur. Os capitinis Æthiopis, a regione superiori elatius, subito attenuatum, ab anteriori ad medium ossis frontis & supra oculos acuminatum & sub illis longe exorrectum, a posteriori alte globosum, itaque toto suo ambitu triangularem fere formam refert. Verum tamen descriptæ crani Calamucki formæ, Batavi & Æthiopis in omnibus singulis capitinis ossa non convenient, sed magna inter se ludunt varietate, ita vero, ut calvariis trium illarum nationum, ni peregrinas diu visant terras, nativa sua semper constet species.

### §. XXVIII.

Considerato in uniuersum trium illorum craniorum (XXVII.) habitu; non incongruum rei nostræ erit, specia-

lio-

minorem in singulis ossibus capitis obvium, circumspicere. Primum quod attinet ad Batavi os frontis, vid. Tab. 11. hoc æquabilem versus faciem leniter descendens, supra oculos, sinuum loco frontalium, parum prominens, ubi supercilioium fundamenta ponit, supra globum mediocriter productum, pone nasum prominulum, parumper elevatum, post modice deorsum tendens, semicirculari fere ambitu processus maxillæ superioris nasales, & ossa nasi, firma sutura recipit. In reliquis cranii ossibusque, verticalia, versus posteriora ad figuram, globosæ similem, atque in latera, æquabili fere facto arcu, contendunt, cum osse occipitis haud multum exstantia temporibus, rotundula convenientia superficie. Ossa jugalia, qua centrum faciei, seu loca sub oculis fistunt, leviter plana, versus maxillam declinant. Hæc itidem pone dentes parum prominens, lunato fere margine, illos sibi infixos monstrat, in latera, versus processus Pterygoideos, incurvo pene ductu tendens. Quoad ceterorum ossium figuram; hæc. non ita ulteriori digna commemoratione, nihil notabile & singulare exhibet.

## §. XXIX.

Quam insigne autem discriminem in cranio, (§ præc.) & Calamucki vid. Tab. 1 occurrat, jam præprimis hujus sincipitis os contemplanti appetit. Hoc in medio valide depresso, versus superficiem temporalem valde etiam dejectum, frontem efformat planam quidem, sed super foraminibus oculorum magis exsurgentem tuberibus, quæ profunditatem, altitudinemque frontalium sinuum indicant. Non valde ceterum ad lacunar orbitæ prominet, & rotundulo limbo, simulque valde crasso, versus cantum minorem, ambitum suum conficit. Prope glabellam maxime intumescens, longe se demittit, & latam satis eminentiam, oculis interjectam, producit, cui profunde admodum ossa nasalia angustiora, satis acuta, & versus inferiora quasi detracta, processusque memorati maxillares, triangulari fere specie, inseruntur. Proximum maxillæ superioris os,

D

utrim-

utrimque ampliter diductum, a parte foraminis nasi valde declive, uti & tub oculis, sine magna sinuositate, ubi sedem dentium definit amplum, sed insimul ab anteriori pone incisores & caninos vehementer complanatum, ita ut dentes oblique porriganter. Ossa Jugalia, a maxilla erecta, lata valide planitie versus tempora migrant, sicque figuræ quadratae genarum sese accommodant. Ossa verticalia ad speciem frontis multum figurata, sine magno globositatis incremento versus occipitis feruntur, neque cum reliquis, nisi quoad miram crassitatem, & latitudinem, speculationem merentur.

## §. XXX.

Quo planior Calamucki frons (§. præc.), eo in acutum magis abit Æthiopis, vid. Tab III, ad suturæ locum, pro magnitudinis ratione satis angusta, in intercili non multum assurgens, sed recurva specie ad ossa nasalia protendens, quæ profunde admodum sub radice eminentes glabellæ linea fere recta ossi frontis infiguntur, ita quidem ut ad angulum, a recto non valde discrepantem, illa contingat. Unde non tam sublimi, sed demissiori forma, inter oculos eminet nasus. Prout ab illo ossa maxillaria magis descendunt, eo plus versus anteriora protrusa videntur, quo dentium primorum situs, valde obliquus efficitur. Genæ, non in latum excedentes, coarctatae quasi, a depressiori ossium jugalium regione, parum extrorsum efferruntur. A parte postica ossis occipitis observatur, quod in basin cranii, valde deorsum productam, ita ut tota compages mensæ imposita, duobus processibus maxillaribus insisteret queat, sine maxillæ firmamine, quæ illos sua inferiori parte, qua palatum stabile constituit, recta fere linea respicit. Tandem in contemplatione cavorum oculi, notabilis valde existit singularis illorum angustia in Æthiope, nascens partim ab excavatione concurrentium ossium non profunda, partim a protuberantia ossium Vesalianorum, quibus accedit, quod orbita longe introrsum ducatur, sensim angustior redita. Diflert vero hæc ab orbita Calamucki incredibiliter,

& Batavi, dum illa capacissima, lato lacunari tecta, & amplitudine maxillaris laminæ ossis jugalis, Multiformisque aucta, non ita alte cranium, ingredi appetet; hæc vero major quidem Æthiopis, minor Calamucki, æquabili rotunditate & circulari diminutione perficitur.

### §. XXXI.

Hæc, quæ de discrepanti craniorum (§. xxviii. xxix. xxx.) facie tradita fuerunt, ipsa edocti natura, non singularium ita partium actione producta cognoscimus. Quapropter multa, ne alienus ab instituto foret ordo, silentio sunt prætermissa, inæqualitates, asperitates, & figuræ permutationes naturales attingentia, jam curatius proxime investiganda.

## CAPUT QUINTUM.

*De mutatione ossium, a mutata partium actione  
vicinarum, proveniente.*

### §. XXXII.

Pleraque corporis humani ossa, multis, præter propriam consociationem inter se, & cum periosteo, ambiuntur partibus, membranis, musculis, tendinibus & vasis. Quæ, vita vigente, actuositate quadam gaudent, qua sibi mutuo certas inferunt actiones, quæ omnes ultimum definito motu peraguntur, cuius summam Physiologi ad solidorum in fluida, & fluidorum in solida alternis vicibus nascentem, referunt pressionem.

## §. XXXIII.

Hujus effectus varii admodum in corpore nostro eveniunt, ex quibus illi, sigillatim ad ossa pertinentes, valde notabiles, & attentione curiosa digni habentur. Ii commodissime capi posse videntur, si praeter cognitam primae materiei osseæ indolem, ratione mollitiei (§. III.) hujus diversitatis, (§. VIII.) flexibilitatis (§. XII.) naturalem præpribis illorum figuram (§ XI.) ante oculos statuamus. Illa, postquam in infantibus ossa ad certum pervenire incrementum, simplex admodum, in omnibus, rotundis & longis, æquabiliter rotunda, in latis & angulosis, polita ac laevis, splendet, nullis interrupta eminentiis, existit, uti appareat e.g. in ossibus Tibiæ, Fibulæ, Ulnæ, &c. quæ omnia cylindricam & perfecte teretem figuram exhibent, & tempore in tantam deformitatem quasi, & acutiem abeunt. Ita quoque, si interna cranii superficies, præcipue ossium Frontis, Verticis, Occipitis, & Temporum, conspicatur, tota intus glaberrima, æquabilissima nullisque vestigiis donata, secessit.

## §. XXXIV.

At uti homo actionibus suis (§. XXXII.) & partibus, ossibus circumjectis, robore crescit, eo sensim ossa a naturali suo habitu recedunt, vel iisdem de causis in certas se componunt figuræ multis ludentes varietatibus & nomine Sinuum, Sulcorum, Canalium, Cavorum, Ductuum, Suturatum, Articulationum, Processuum, Protuberantiarum, Lineamentorum, Asperitatum, Curvaturarumque. Quorum omnium formationis rationem, qua fieri potest brevitate, perstringere, necessum duco.

## §. XXXV.

## §. XXXV.

Primum in dolem exploraturi Sinuum, duplum horum significationem, ab Anatomicis Osteologis admissum, notamus. Vel enim Sinuum nomine exprimit cavitatem quamdam amplioram, vel angustiorem in ossibus natam, & ore aperto in partem quamdam spectantem, uti e. g. Sinus Sphænoidales, pone processum humilem ossis Multiformis anteriorem partem in posteriora & superiora narium &c. De his (§. XVII.), non attinet hic tractare copiosius, utpote non ad sui generationem actionem partium confinium exigentibus. Verum appellantur etiam Sinus profunditates quædam, ossibus insinuatae, ad semicanalium speciem accedentes primam, & pròdituram, altius, latius, vel minus profunde penetrantes, prò varia ætate & corporis temperie. Horum crescendi modus exemplo Sinuum patet lateralium, quos nuncupare volumus Osseos, a Dura mater in media crassima ossis Occipitis parte effectorum, & circulari fere ambitu, a praedicto osse per proximum Mammillare, ad radicem dein ossis petrofi decurrentium, tandemque parvo in anteriora flexu in nonum par foraminum, aorplum valde, & hiatui simile, terminantium. Recipiunt illi sinus laterales duræ menyngis, Membranaceos nobis dicendos, sanguinem copiosum, a tota functione cerebri superfitem, colligentes, & in Jugulares internas effundentes.

## §. XXXVI.

Sinus membranacei illi (§. præc.) proxime ossibus (§. cit.) adjecti, sine inter medio periosteo, cuius externi et interni munere in toto crano Dura mater fungitur, tenues, sensim augescentes cum mole cerebri, sanguine semper plus minus pleni, in triangularem extensi figuram, se constanter sustinent. Hi in tenerissima ætate a calvariae parte molli ejus materia ossea (§. III. VI.) sensim indurescente, (§. VIII. IX. X.) in tenuem os, per gradus crassescens (§. X.) continguntur, & ope vasorum

Duræ matris, os facile pervadentium huic nectuntur. Prout autem ossis crassitudo insignior evadit, & Sinuum membranaceorum magnitudo, simulque cerebri & cerebelli, hæc exactissime impletia cranium in omnem ambitum premit, oppositamque excipiunt actionem (§. XXXII.) Idcirco ossis molitudo, cedens quasi vi Sinuum membranaceorum urgenti, circum circa locum ipsis facit, & circum eosdem crescens, a succo nutritio arterioso, in majorem duritatem ad ipsorum formam sese accommodat, abiens ita in Sinus memoratos, tenuitatis quidem insignioris, sed simul etiam intensioris soliditatis.

## §. XXXVII.

Eodem fere modo in formatione Sulcorum natura utitur (§. XXXIII. IV. V. VI.) Horum nomine veniunt nobis exiles ductus, qui per nonnulla calvariae ossa feruntur. Eorum numero sulci admodum notabiles, per osa squamosa, verticalia, occipitis, & proximi frontis, a paris sexti foramine parvo procedunt, simplices in principio, bifidi mox, dein in inumeros ramos se dispergentes, uti ramosa arbor, & facti ab arteria & vena sociis, ad Duram matrem tendentibus. Putant nonnulli, Sulcus descriptos, non tradito modo uti Sinus (§. præc.) nasci, sed singulari arteriarum pulsatione, quod illi ossibus imprimentur. Facilis etiam hæc objectio, quod arteriarum teneritudo obstet illi actioni tam validæ, in durum os, diuturnitate temporis evanescere videtur, & quod gutta lapidem cavet non vi, sed sepe cadendo, & sic arteriæ, non effectu contractionis & dilatationis simultaneo, sed reperita pulsatione, in os penetrent. Verum examinatis craniis foetuum, infantum, adultiorum, in variis ætatibus, & applicata ossium natura & conditione (§. XXXIII. V. VI.); illico apparet, aliam longe originem, quam quæ jam prius allata fuit, Sulcos obtinere. Scilicet decurrent arteriæ illæ & venæ per superiorem Duræ matris regionem, proxime cranio adjectam, & in hac eminentes, quemadmodum plures, sed minorcs, illam exasperant, cuius contrariam imaginem cal-

Varia repræsentat, recensitis dotibus (§. XXXIII.) donata, & tanquam materies ceracea, inæquali superficie alicui affusa & frigefacta consideranda, quæ dein ablata, speciem illius receptam commonstrat.

### §. XXXVIII.

Alia quidem productio Canalium in ossibus, quam Sulcorum & Sinuum (§. XXXVI) primo intuitu appetet. Generalis canalis notio tam pervulgata est, ut nullum exigat descriptionem. In foetu pauciores, & plures in adultioribus occurunt, nascentes sensim circa partes, quas ambient per varios gradus, quemadmodum canales in arboribus, quibus annuli ferrei, in villis seu suburbanis Batavorum, affixi, per quos filum æneum ad campanulas ædium traducitur, qui que annuli temporis successu in arboribus recondi, ipsisque ingenerari solent. Exemplum hic nobis præbet canalis ille osseus, qui lamina orbitali maxillaris superioris, pro transmittendo secundo ramo quinti parisi ad genas, &c. efficitur, primo in loco illo, leniter cavatus, Sinus ad instar, dein matuoriæ ætate, in circularem ambitum concretus, magnitudine respondens illius, quibus perfecte se accommodat, longior vel brevior, pro adultiori vel juniori ossium forma. Ii vero canales, qui in cartilagine primitiva existunt, jam perfetti, in osseos abeunt solemni ossificationis ratione. Ex quibus omnibus Cavorum etiam indoles, horumque ortus cognoscitur, uti ex ipsa calvariæ totius constructione, quæ moli cerebri & cerebelli coercendæ accommoda, per singulos ætatum decursus ad ipsius incrementum, eleganter se conformat, totam illorum arborum viscerum faciem externam testans.

### §. XXXIX.

Per vitia etiam, præ primis per tumores, in ossium vicinia natis

ca-

cavitates, foramina & sinus gignuntur, cum insurgentes illi contra ossa, horum substantiam introrsum & extrorsum simul invadunt, facta eo simul majori ossium densitate, tenuitate & laevitie, & vasorum delectione; (§. XXI.) uti mihi singularis observatio constat, praesente ægro capta. Scilicet Miles, annorum circiter 30. natus, in Nosocomio Petropolitano decumbens, robustus, eo loci, quo clavicula cum sterno committitur, & paulo inferius, protuberantiam vel tumorem molle, longitudinis & latitudinis duorum fere digitorum, & ad ad tactum pulsantem, gestabat. Afficiebatur magna pectoris anxietate & Dispnoea quadam. Mensæ autem assidens, inter coenandum de sella labitur, & subito mortuus in lectum refertur. Post in sequenti die, inciso cadavere, tumor apertebatur, qui materiam quamdam, tenui permixtam sanguine, & purulentam fundebat. In medio partis superioris ossis sterni, spectabatur portio quædam carnosa, rubra, aspera, magnitudine nucis juglandis, in acumen extenuatae, quæ per foramen in sterno factum, e thorace exiebat. Deinde, remoto sterno, eadem portio annexa videbatur Aneurismati, insignis admodum magnitudinis, curvaturæ arteriæ magnæ innatae, cuius facies anterior spectabat sternum, quod magno pervium erat foramine, & per ambitum suum, tribus vel quatuor cavitatibus, sinus referentibus rotundos, & gibbositatibus Aneurismatis respondentibus instructum; visa ceterum superficie polita sinuum illorum, non alte penetrantium. Adseratur hoc repertum sine dubio adhuc in scriniis anatomicis Nosocomii Petropolitani, quæ curiosissimis & elegantissimis preparatis anatomicis, manu sagacissimi & assidui Anatomici Domini Mellen instructa sunt, cuius ex humanitate, uti plures ejusmodi observationes accepi, hanc autem ex iis hic attuli.

## §. XL.

Quod attinet ad suturarum proventum (§. VI. XVII.) hic ex tradito modo, quo ossа calvariæ conficiuntur, facile puto, deprehenditur. Fibræ illæ ossеæ, Dura matre, suturas permeante, omnes quasi vestitæ, eo a se mutuo arcentur. Dum vero materies ossеа illarum membranæ illius vim exsuperat, pergit, quo in se mutuo pectinatim ingrediuntur, variis fasciculis, crassioribus vel exiliорibus, qui pro oblata resistentia extenarum partium, & ab opposito latere accendentium fibrarum, in fasciculos similiter jam collectarum, minus vel magis profunde sibi insinuantur & sic sibi limites statuunt. Latefencitibus autem fasciculis illis intercepta Menynx in summo senio plane aboletur, eoque una ossis facies & continua emergit.

## §. XLI.

Uti vero ossа figura sua & specie ad vicinas sese componunt partes, ita quoque ad se invicem in conjunctionibus suis cum notabili motu, quam Articulationem, vel accuratius, Diarthro-sin vocant, qua, pro specierum diversitate quadruplici, ossium superficies, ab utroque latere, ad articuli sui rationem sese conformant. Sic e. g. in Ginglymo ossа ita formata sunt, ut duos, ab una parte, sibi impressos habeant sinus, ab altera vero, his respondentia capita, cavitate oblonga inter media, cui exsurgens inter sinus eminentia sese inserit. Quam primum articulus hic in tenerrimis corpusculis conspici potest, nulla hujus figura-tionis nota in visum venit, sed prodire incipit, ubi infans proprio suo muscularum motu utitur, ab illorum actione determinato, & usui brachii accommodato. Quoniam jam hic solummodo inflexionem & extensionem requirebat; hinc natura, ad horum directionem muscularum ossis humeri actiones intendit, quæ ita Ginglymi articulationem prosequantur. Ex quibus ratio redditur manifesta, qui motu articulorum, & actione simul muscularum, sublatis,

articuli forma depravata , tandem omni usu excidat , facta-  
nimirum vera ossium coalitione , de qua, quod ex ore Cl. Al-  
bini accepi , memorabile constitit exemplum virginis , ex-  
variolis valde laborantis , cui , ligaturis utriusque articulo bra-  
chii circumiectis , ne scalpendo faciem laceraret , ejusque  
formositatem deturparet , ex morbo dein optime reconvale-  
scenti , fasciis deligatis , articulatio obriguerat , ita , ut illa ,  
pulcritudine illæsa , artuum deformitatem , non sine magna  
adhibitæ curæ parentum poenitentia , geslerit .

## §. XLII.

Eadem a causa ( §. præc.) varia pendent effecta , quæ in ar-  
ticulationum luxationibus obtingunt , quibus scilicet ossa e se-  
de sua dejecta , nec statim reposita , in pravam degenerant  
& excrescunt figuram , ita quidem , ut in totum a pristina &  
suo articulo accommodata recedant , sinus naturales materie  
ossea allata implente , capitibusque in miras turpesque species  
extuberantibus , prout turbata simul vicinarum partium actio  
fert . Quod si vero , prægressa luxatione , unum os in alterum im-  
pingit , & mutuam inter se actionem articularem exercent , alia  
rursum rei facies , & mutatio incidunt formæ , quæ articulatio-  
nis disturbatae plus minus accommodatur . Sic luxatis in femina  
ossibus femoris , & ex acetabulo suo plane elapsis , novum vi-  
di effictum , irregulare , a posteriori latissima protractione ena-  
tum , ab anteriori leniter acclive , rotunditate ceterum sùa , &  
profunditate naturali Ischii acetabulo subsimile : a capite  
ipsorum in priori & superiori parte ossis Ileon , in uno latere ,  
propriam acetabuli cavitatem , fere oblitteratam , multis inæ-  
qualitatibus interstinctam . Caput ipsum adhorizontalem fe-  
re lineam repressum erat , a radice sua , annulari sinuositate , abe-  
minente rotunda novi illius acetabuli ora lata , interrupta ab an-  
teriori & posteriori , circum circa carie exesa , quæ in illo cir-  
cum versata erat , gaudens In altero acetabulum proprium , ut  
prius valde exsurgens & deplanatum aspiciebatur . Ex quo non  
le-

Levi assequimur conjectura, luxationem, ab utroque latere, eodem accidisse tempore. Alterum acetabulum, factitium quasi, primo inchoatum, ex regione alterius apparebat, osse tantum eo loci leniter producto, & sinuato, a superiori marginè jam erupto, ab inferiori autem & lateralibus partibus parum nihilve protuberante. Caput cavitati huic, fere superficiariæ, applicatum, plane consumptum carie, insignesque profunditatis & excrescentias varias circa collum gerebat. Ex qua vitiosa admodum acetabuli formatione, & capitis exesione, non immerito suspicari licet, ulcus circa partes has natum, & depastum, caput illud impedivisse, quo minus suo lateri inniti potuerit; hinc in alterum relapsò corpore, & supra caput dextrum integrum gravitante, hoc eo profundiis in os Ileum esse adactum, hocque eo pressioni cedens, descriptam cavitatem sibi impressam accepisse.

#### §. XLIII.

Non inelegans etiam de fictione articulorum nova observatio in Actis eruditorum Mensis Nov. A. 1685. prodita legitur, quam ad dilucidationem majorem doctrinæ de productione articulationum (§ XLI.) propositæ, hic commode inferendam duxi, hisce verbis conscriptam: Anni sunt plures, cum vir quidam ex casu sibi brachium sinistrum, ad quatuor a carpo digitos ita fregit, ut utrumque Ulnæ & Radii os in transversum diffractum haberet & omnino disunitum. Mox equidem chirurgi pro brachio reponendo fuere accersiti, vir tamen hic, doloris vehementioris metu, tangi ab iisdem plane recusavit, abnuendo una fascias ipsas, quibus brachium cominode diligaretur. E diverso brachium commovere potius incepit, huicque postea motui tali successu assuevit, ut brachium vel in ipso fracturæ flecteret loco: in quo statu, commovendo vide-licet manum, ac duobus in locis absque dolore, vel incommodo ullo cubiti os lectendo, fatis diu vitam protraxit. Postquam vero esset defunctus, unus ex chirurgis, qui ipsum vi- liaverant, brachium hoc ab ejus petiit agnatis, musculisque

E 2 re-

rescissis, oppido novam in fractura factam invenit articulationem, sequenti dispositam ratione. Scilicet ex parte flexus cubiti in utriusque ossis extremitate caput quoddam rotundum. Apophyseos nomine insignitum, occurrit; ex parte autem carpi duæ adsunt cavitates, satis profundæ, capitibus ossi cuiuslibet recipiendis inservientes. De hinc ipsum perioustum, quod tempore fracturæ erat laceratum, circum circa majori præditum observatur crassitie, adeo ut ligamenti vicem pro articulatione firmanda præstet. Tandem cavitatum harum oræ a parte anteriori multo minus advertuntur elevatæ, quam a parte quidem posteriori, unde duo notabiles producebantur effectus: quippe ex una regione satis sic erat opportunitatis pro meliori flexionis motu ineundo; ex altera vero nimia brachii extensio hoc in loco impediabatur, similem fere in modum, ac in cubiti flexura contingere deprehenditur.

Non dissimilem priori annotationem per literas, a venerando Parente Petroburgi anno 1741. ad me datas, communicatam esse, memini. Scilicet fuit ea in urbe remex, qui in opinato lapsu os humeri sinistrum fregit, & ejus curationem chirurgis committere ex industria nolens, totum sanationis opus soli naturæ peragendum reliquit. Hic necessitate coactus, non magnam brachii sui fracti curam gerens, hoc usus ad vitæ munia exercenda, eo loci, quo fractura facta fuit, nempe circa insertionem musculi Deltoidis inferiorem, continuo motu, sibi articulationem formavit, ita, ut jam hominem hunc, brachium admovere capiti volentem, illum primo in articulo cubiti, postea in novo, fracturæ in loco natto, & tandem in coniunctione ossis humeri cum scapula flectere oporteat. Curiosa hæc articulatio cum brachii adductiōnem ad caput concedat, probabili conjectura hactenus forte ad Ginglymum referri poterit, modo certum sit, an forsitan nauticus ille secundo suo & præternaturali articulo, alium motum perficere possit, quam flectionis & extensionis. Interna natura hujus Articuli, exploratu dignissima, tum demum accuratius cognoscetur, ubi post mortem ejus chirurgi in omnia recte inquisiverint.

## §. LXIV.

In expositione ortus Processuum quorumdam, & Protuberantiarum, necesse est, præprimis muscularum insertiones, & actionum suarum tendentias lustrare. Harum utrarumque conspirante effectu, osla (§. XXXIII.) quasi protrahuntur in tubera majora, minorave, pro vario hominum robore & vitæ genere, magis vel minus laborioso. Ex illis Processus mammillares, a parte postica meatus auditorii emergentes, in prima infancia, nulli, in proiecta, latiores & crassiores, in feminis parvæ, rotundæ quasi, & politæ, in hominibus, vitam sedentariam colentibus, similiter non multum protensi, in rusticis, bajulisque, durissimis & gravissimis sese continuo frangentibus laboribus, valde ingentes, exasperati, oblique deorsum, pro actione Sternomastoidei præprimis & Cleidomastoidei, spectant. Ut ergo ex omnibus hisce relatis varietatibus magnitudinis, latitudinis, altitudinis, crassitie, densitatis, asperitatis que clare appareat, generationum illorum processuum causæ expositæ esse tribuendam, qua simil efficitur, ut matres nutritia ossa cum sanguine cumulatius appellatur, prout major humorum fluxus, partibus validius agentibus, accidit.

## §. XLV.

Inter mutatas ossium formas, Lineamenta, vel singulares ad modum inscriptions, atque asperitates varie a diversa etiam muscularum (§. præc.) partiumque vicinarum actione, in ossibus (§. XXXII.) finguntur. Illa, in facie præprimis insignia, vitæ anteactæ hominis imaginem ostendunt delineatam; in melancholicis, difficilem, in sanguineis, expolitum, in æta te confectis, senilem, in literatis, disparem, in junioribus, juuenilem, in laboriosis operosum; in feminis, muliebrem. Unde non mirum est, descriptas ossium figuræ, & depictas ab anatomicis, valde a se dissidere, ut vix unum in sceletis, licet minimum, conspiciatur os, alteri eidem, in alio perfec-

te simile. Nec forsan negari potest, variam ossium oris figurationem, usu inductam, & consuetudinis vi, Sonus conceptio-  
nem, & sermonis moderationem in diversis gentibus consequi,  
dum assuetæ linguae suæ vernaculae, ad hujus accentus singu-  
lari utuntur muscularum directione, quæ, juxta sonus gra-  
vitatem, acumen, profunditatem, claritatem, quæ a generali  
ossium constitutione pendens, hisce talem imprimit figuram,  
qua sermonum varietas, & difficultas quædam, ad alienos ad  
descendes prodit. Uti vero imagines ossium a muscularum  
vel motu voluntario, vel automatico efficacia diversi mode fi-  
gurantur; ita etiam singulari valde imaginationis virtute, qua  
experientia docente, ossa in foetu, quoad speciem suam natura-  
lem, ita commutantur, ut deformissima saepe, & a propria  
habitidine, quam alienissima evadant. Quæ, animæ poten-  
tia, talem illis inferat vim, & labem, nemo certe mortalis eruit.

## §. XLVI.

Tandem quæ adhuc supersunt examinandæ in ossibus Cur-  
vaturæ, diversissima apparentes facie, ex perquisito præprimis  
vivendi more, & partium exercitio, iisque accommodatis acti-  
onibus quibusdam muscularum (§: XXXIII) clare perspic-  
untur. Sic Lanæ textores, quoniam incurvis semper pedibus  
opificium suum obeunt, inde plerumque gibba obtinent ossa  
cruralia, & Rustici, qui per totam diem, reflexo dorso, agros  
suos colunt, extrorsum versa spina a parte lumborum, & a  
superiori introrsum curvata, demisso semper vultu, & hypo-  
chondriis compressis, incedunt, non erectum tenere corpus  
potentes. Eodem ex situ Sartores, pedes sibi invicem crucia-  
tim substernentes, femora accipunt recurva, diversis admo-  
dum gradibus, prout plures, vel pauciores annos, artem suam  
exercuerunt. Non vero existimandum, omnium Rusticorum  
& Sartorum ossa in tam deformes figurari curvationes. Tam  
illi, quam hi, desidiosam saepe agentes vitam, varia simul  
obeunt munera, quæ alia corporis gestatione conjuncta, na-  
scituram alias formam illam ossium curvam quasi refingunt.  
Non-


Nonnulli enim Sartores in opificii sui exercitio in longitudinem, vel alias obliquitates pedes extendunt, dum tabulis insident. Hinc necessario ossa vel naturalem suam retinent figuram, vel aliam contortam recipiunt. Sic etiam, qui agriculturæ operantur in Russia nostra, certo semper die, in hebdomade, Balnea ingrediuntur, & corporis sui lavatione, & fricatione, ossa sua a rigiditate, & deformatione immunia servant. Non dubium quoque est, quin ossa reliquorum opificum, a munere studiose & sine vacatione præstito, varias adsciscant formas, & pro diversitate aliorum effectorum munerum, in diversum habitum transeant, quarum tamen formatio, ejusque ratio, ex tradita paucis doctrina De Modo, quo ossa partibus vicinis accommodantur, augustinis hisce comprehensa paginis, omni parte eluet.

F I N I S.

217

CALVARTIA.  
EX REGIONE BOREALI

TAB.L  
CALAMUCKI  
ASIÆ.



J. v. d. Spijk del. & Sculpit.

J. Wandelaar discrivit.

LVI  
1963

TAB. II.


CALVARIA  
EX REGIONE OCCIDEN-

BATAVI  
TALI EUROPAE




J. v. d. Spyk delin & sculpsit

J. Wandelaar dirixit



CALVARIA  
AUSTRALI

TAB. III.  
ÆTHIOPIS EX REGIONE  
AFRICÆ



J. v. d. Spijk del. & Sculpsit

J. Wandelaar direct

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000

12.4220.000